

sensu peccator statuit, tuncque plenâ Proxtesi, & electione acquiescente, hanc Christi satisfactionem sibi vendicat, eam irato, & offenso hactenus Deo offert, ac exhibet, divinæ revelationis certitudine luffultus Deum repudiaturum eam non esse, sed offensam pro sua misericordiâ, & gratiosâ promissione propter satisfactionem Christi remissurum: ita, ut in eo multum supereret fides, in offensâ Dei abolitionem tendens, omnem civilem proæresin, quod illa quidem inveniat medium cui sine ullâ diffidentia inniti potest, quodque apprehendere, & eligere potest, tanquam quo finem suum certissimè sit obtentura, quod respectu etiam fiducia, in scripturâ appellatur, in civilibus autem actionibus media vix unquam tam certa dentur, ut sine ulla diffidentia ea ad finem suum obtainendum eligi possint: Cum etiam optimè cogitata hic pessimè saepius cadant.

¶. VIII. Quemadmodum autem peccatis actualibus crebrius repetitis, propter culpam & offensam Dei, ignorantiam etiam rerum spiritualium & falsas de illis opiniones, temerariaque judicia, tum & ineptitudinem, ad sectanda & appetenda spiritualiter bona, promptitudinem verò & propensionem in malum progenitari antea diximus, id quod sc. peccata habitualia important: ita ex opposito, praedictis conversionis & fidei actibus continuatis, ad illa omnia obolenda tendimus. Ignorantia enim mysteriorum divinorum discutitur per notitiam fidei, falsæ opiniones per assensum divinæ revelationi præbitum, quibus continuatis cohibentur etiam judicia temeraria, dum contrariis sententiis immutatus, jam est intellectus. Ineptitudo verò ad sectanda & appetenda spiritualiter bona tollitur & aboletur, dum continuatur displicentia efficax, acque seria actuum peccaminorum, & desiderium redeundi [cum] Deo in gratiam, plenâque proæresi & electione acquiescimus in satisfactione Christi pro peccatis, in hisce enim,